



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Prima. post Pascha. Iohannis. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA PRIMA
DOMINICA PRIMA,
post Pascha. Iohan-
nis. XX.

CVM ergo sero esset die illo, una Sabbatorū, et fores essent clausæ, ubi erant Discipuli cōgregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus, et stetit in mediū, et dicit eis. Pax uobis. Et cum hoc dixisset, ostēdit eis manus et latus suū. Gauisi sunt ergo Discipuli uiso Domino. Dixit Ergo eis Iesus iterū. Pax uobis. sicut misit me pater, et ego mitto vos. Et cū hoc dixisset, insufflauit eis & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum. Quorū remiseritis peccata, remittūtur eis. quorū retinueritis retenta sunt.

Thomas autē unus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij Discipuli. Vidimus Dominū. Ille autem dixit eis. Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, &

Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medium, & dixit. Pax vobis, Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, & dixit ei. Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia uidisti me Thomas credidisti. Beati qui nō uiderūt et crediderūt.

Multa quidem igitur & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ nō sunt scripta in hoc libro, Hæc autē scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius.

LOCI QVINQVE.

- I. De testimonijs.
- II. Missio Apostolorum, & donatio Spiritus sancti.
- III. Mandatum de remissione peccatorum, & summa Euangelij.
- III. Duo testimonia de diuinitate Christi.
- V. Confirmatio credentium uoci Euangelij de rebus quas oculi non conspexerunt.

DE

DOMINICA PRIMA

DE PRIMO.

Sæpe hoc dictum est in his conciunculis, Et sres gesta Alexandri aut C. Cæsaris magis incurrunt in oculos, & habent celebratiora testimonia, tamen sciendū est et Ecclesiam habere certa testimonia, de uoluntate Dei, & de exhibito filio Dei, quæ diligenter colligenda sunt animis, ut fidē confirmet. ut de Resurrectione exhibita sunt testimonia totis illis quadraginta diebus, quib. Christus familiariter cum Apostolorū coetu post Resurrectionem conuersatus est, eosq; erudijt de suo regno, de Euangelio, de uita æterna. Nec uero tantum Christus una uersatus est, sed etiam alij multi resuscitati, ut noster dux ascensurus in coelum, haberet comitatum aliquem, Id agmen arbitror fuisse primos parentes, & aliquos ex Regibus et Prophetis, quos duxit Christus, ut initia æterni regni uiderent, sicut norant ea Moyses, et Elias. Quare pia mens testimonia studiose consideret, ut et Paulus ea recitat I. Corint. 15. Visus est Cepha, deinde uniuerso coetui Apostolorum, postea quingentis fratribus simul, rursus Iacobo, deinde iterum omnibus Apostolis, postremo, inquit, & mihi uisus est. Et Apostolos uera narraſſe Deus ipse testatur, qui propterea ornauit eos miraculis, ut sciamus eos diuinitus missos esse, ueros testes, et Doctores esse de uoluntate Dei, et de Christo. DE

DE ECVNDO.

ETsi Christus habet quædã propria munera,
 quæ non sunt communia Apostolis, tamen mi-
 nisterium docendi est commune. Christus non tan-
 tum est Doctor, sed missus fuit ut fieret uictima
 pro humano genere, & est mediator, seu propicia-
 ator, & sua potentia reddit uitam æternam, Sicut
 inquit Iohan. 5. Sicut Pater excitat mortuos &
 uiuificat, sic et Filius, quos uult, uiuificat. Sed Apo-
 stoli tantum circumferunt uocem Euangelij, &
 sunt testes de exhibito Messia, & enarrant benefi-
 cia eius. Id officium hic eis commendat, eosq; ad-
 monet qua autoritate cõmendat, uidelicet, æterni
 Patris, & sua. Sicut misit me Pater, sic mitto uos.
 Et statim additur Spiritus sanctus, et nominatim
 exprimitur quid acturi sint, ut & Luca ultimo, di-
 citur. Ite prædicaturi poenitentiam in nomine
 meo, & remissionem peccatorum. Primum autem
 hic discamus, autoritate diuina institutum esse
 ministerium Euangelij, idq; efficax esse et saluta-
 re, Nam ideo dicit, Sicut me misit pater. Habetis
 mandatum idẽ Euãgelij docendi, idq; erit ratum
 Deo, & efficax, Sicut Paulus inquit, Euangelium
 est potentia Dei ad salutem omni credenti. Cogi-
 ta igitur quantum hic munus uniuerso generi hu-
 mano donet, cū mittit Euangelij ministros, et pol-
 licetur

DOMINICA PRIMA

licetur Deum Euangelio adfuturum esse. Sicut
 hæc copiose declarantur. 2. Corinth. 3. Sufficien-
 tia nostra ex Deo est, qui fecit nos idoneos mini-
 stros noui testamenti, non literæ sed Spiritus. Et E-
 phe. 4. Et ipse dedit alios quidem Apostolos, alios
 uero Prophetas, Pastores, et doctores, ut edifice-
 tur Ecclesia, nec fluctuemus a gitati fallacib. præsti-
 gijs etc. promittit etiam sese adfore opitulatorem.
 Vbicunq; duo aut tres congregati erunt in nomi-
 ne meo, in medio eorum sum. Item, Ego sum uobis
~~cum usq; ad consumationem seculi &c.~~ Hæc om-
 nia sunt hoc loco cogitanda, ut agnoscamus ma-
 gnitudinem huius diuini muneris, amemus & ue-
 neremur ministerium Euangelij, audiamus & ue-
 re credamus Dei munus esse, et per hanc Euan-
 gelij uocem, quamuis spretam ab impijs, tamen ue-
 re reddi uitam æternam ijs, qui eam amplectuntur.
 Apostoli expectabant mundi imperiũ, somniabãt
 fore ut iam Christus pulsus Romanis præsidijs oc-
 cuparet Iudæam, deinde adiuncturus ceteras pro-
 uincias, ac impositurus eis Apostolos, ut Alexan-
 der suis commilitonibus tradidit regendas prouin-
 cias. Sed hic audiunt Apostoli longe aliam uocem.
 Sicut me misit Pater, scilicet ad docendum Euan-
 gelium, & sustinendas ærumnas, quas adfert con-
 fessio, non ut armis imperium constituam, ita

& uos

& uos mitto, & polliceor Deum uoci Euangelij
 ad futurum esse. Hæc concio docet non fungi mu-
 nere Christi Pontifices, qui non docent Euange-
 lium, sed imperium constituerunt, & cultus defen-
 dunt pugnantibus cum Euangelio. Pios uero ualde
 confirmat, tum Doctores, tum auditores. Diabo-
 lus, & eius organa immanitate odij infinita ar-
 dent aduersus Euangelium. Ideo multi potentes
 & sapientes bellum gerunt cum Euangelio, Sed
 pij Doctores hac se uoce sustentent. Sicut misit me
 Pater. Adest Deus huic militiae, ideo non frangan-
 tur animi iudicijs mundi. Auditores etiam sciant
 non esse inanem fabulam, has tam mirandas con-
 ciones de uita æterna, de futuro iudicio, de remis-
 sione peccatorum, &c. Sed sciant immensa bo-
 nitate Dei electam esse Ecclesiam à Deo. quam
 uelit hoc mirabili modo sibi adiungere, & dona-
 re æternis bonis.

DE TERTIO.

Summam Euangelij et hic, et in ultimo Capite
 Lucæ complexus est Christus. quã oportet in-
 fixã esse animis, ut discrimen semper sit in con-
 spectu inter doctrinam humanæ rationis, legem, et
 Euangelium. Mirantur sapiētes, quid tantopere ia-
 etur Ecclesia singulare genus doctrinæ, cum ui-
 deant

DOMINICA PRIMĀ.

deant à legum latronibus, Oratoribus et Philoſo-
phis doctrinā de uirtutibus eruditissime traditam
eſſe. Pleriq; multo libentius legunt Ethica Aristo-
telis, aut officia Ciceronis, aut iurisconſultorū di-
cta, quam Euangelium. Quorſum, inquiunt, opus eſt
hac confuſanea doctrina, quæ continet interdum
ſententias diſſentientes à ciuili conſuetudine uitæ?
aut quid noui traditur in Euangelio? Hæc huma-
na iudicia accurate refutanda ſunt, & diſcernen-
dum eſt Euangelium ab omnibus alijs generibus
doctrinarū, à Philoſophia, à legibus ciuilibus, à Ma-
hometi opinionibus, à iudaicis iudicijs. Humane
menti inſita eſt quædam legis noticia. id eſt, diſcri-
men honeſtarum et turpium actionum, ſeu præſta-
darū actionum, et fugiendarum, uidelicet actionū
quarum genera recensentur in Decalogo. Ex hæc
legis doctrina orta eſt Philoſophia, & nate ſunt
ciuiles leges, et Mahometicæ, ac iudaicæ opinio-
nes, Et numerorum noticia omnibus hominibus
cōmunis eſt, quia nobiſcum naſcitur, ita commu-
nis eſt illa legū noticia omnibus hominibus. Sed lō-
ge alia eſt Euāgelij uox, quam filius Dei ex ſinu
eterni Patris reuelauit humano generi. Cū Adam
~~lapſus agnoſceret ſe iam reum eſſe in diuina &
eternæ mortis, non poterat ſtatueret ſibi ignoſci,
ſe recipi in gratiam, ſibi reddi uitam eternam.~~

Ideo

ideo prolata est noua promissio, in qua testatus est
 Deus, se propter quoddam uenturum semen reci-
 pere homines in gratiam, et redditurum esse ui-
 tam eternam ijs, qui fiducia eius promissionis ip-
 sum inuocaturi erant. Eaq; promissio subinde ma-
 gis declarata est per Patres & Prophetas, ut in
 Psalmis, Esaia, Daniel, & Zacharia uidemus.
 Tandem uero per ipsum filium Dei, qui promissus
 fuerat, clarissime enarrata est, et per Apostolos
 sparsa in omnes gentes. Humana mens non habet
 insitam hanc noticiam, Deū uelle gratis nos reci-
 pere in gratiam, remittere peccata propter fili-
 um, et propter eum exaudire nos, et certo nobis red-
 dere uitam eternam. Hec igitur sententia igno-
 ta humane rationi, patefacta est uoce Dei primū
 in paradiso, ac deinceps, ut dictū est, per Patres,
 Prophetas, Baptistam, Christum & Apostolos
 magis magisque declarata.

Vt igitur Ecclesia Dei statim post lapsum rur-
 sus instaurata est, ita mox institutum est ministeri-
 um Euangelij, nec alia doctrina in paradiso sona-
 uit, nisi hæc quam tradit Christus, iubēs prædicari
 pœnitentiam et remissionem peccatorum. Accu-
 sauit Deus lapsos parentes, et addidit promissionē
 de reddenda uita eterna, qua agnoscebant se in
 gratiam recipi, cum dicitur semen mulieris con-

N culcabit

DOMINICA PRIMA

culcabit caput serpentis, id est, ueniet semen, quod destruet regnum Diaboli, abolebit peccatum & mortem, ac instaurabit uitam æternam.

Hæc contio tradita est primis parentibus, quã omnes posterius retinere, & meminisse debuerant. Sed impij aspernati sunt, Ecclesia Dei retinuit. Et subinde hæc lux in mundo rursus accensa est, sicut & per Christum & Apostolos reuocata est.

Eandem ergo contionem Christus iubet Apostolos circumferre inter gentes, quæ inde usq; ab initio in Ecclesia, & quæ in paradiso sonuerat, id est, iubet eos retegere & arguere peccatum, concionari de ira Dei aduersus peccatum & de æternis pœnis, addere uero doctrinam de remissione peccatorum, et de uita æterna, quam pollicetur Deus propter filium, gratis, his qui fide statuunt sibi hæc uere propter filium Dei mediatorem dari.

Et quidem expresse hic inquit. quorum remisseritis peccata, remissa erunt. Et quorum retinueritis peccata, retenta erunt. ~~Vult uoce Ecclesie remitti peccata, ijs qui cupiunt redire ad Deum & Euangelio obtemperant, seu singulis seu pluribus.~~ Et hanc uocem testatur in cœlo ratam esse. Cumq; accipimus fide reconciliationem, inchoatur in nobis uita æterna, et post hæc uitam, prorsus abolito peccato & morte donabimur perpetua uita, luce, sapientia

sapientia, iusticia, leticia, & consuetudine Dei. Hec omnia comprehendere sciamus, cum fit mentio remissionis peccatorum, ac magnitudo beneficiorum, quæ in Euangelio proponuntur, per mediatorem consideranda est, uerbis enarrari satis non potest,

Econtra & ire magnitudo consideretur. Euangelium denunciat retentionem peccatorum, id est, æternam iram æternas poenas omnibus contemptoribus & hostibus Euangelij.

Nec dubium est sapientes Epicureos ex sublimi deridere hoc dictum. Quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Quid hoc inquit mali est? sed fugiamus & detestemur Epicureos, nec contemnamus hæc cœlestia fulmina. Deus in Euangelio suo patefacit iram suam aduersus contemptores & hostes Christi. Sicut Moyses inquit. Qui non audierit eum, ego uindex ero. Hanc uocem uult DEVS pronunciari aduersus contemptores & hostes Christi, & sententiam ratam esse, æternæ poenæ testabuntur. & sæpe in hac uita manifestæ poenæ, signa sunt huius diuini iudicij, ut Ananias interficitur uoce Petri. Achab, Iesabel dant poenas reiecti a Deo, uoce Elie.

DOMINICA PRIMA

Hec quæ de missione Apostolorum, & summa
Euāgelij breuiter diximus, longiore explicatione
tractantur, cum dicitur quid sit Ecclesia, quid
Euangelium, quid pœnitentia, quid iustificatio.
Ex his locis plura sumantur ad hanc enarra-
tionem.

DE QVARTO.

Diligenter hic obserues doctrinā de trib. per-
sonis diuinitatis. Fit mentio eterni Patris,
et filij, sicut Pater misit me, et ego mittam uos. de-
inde fit mentio Spiritus sancti inflauit in eos Spi-
ritū sanctam. Hec loca in preceationibus nostris
cogitemus, ut eternum Deū Patrem, qui cum filio
suo et Spiritu sancto res bonas omnes condidit,
inuocemus, mediatore Filio. et ea testimonia men-
te intueamur, quibus sic se patefecit Deus, ut in Bap-
tismo Christi, trium personarum expressa mentio
fit, et in hac uera & miranda Synodo, ubi filius
Dei dat Spiritum sanctum Apostolis.

Sunt et testimonia duo de filij diuinitate, quia
infra Thomas uocat eum Deum. Item quia hoc lo-
co Filius dat Spiritum sanctum. Porro nulla crea-
tura potest per sese dare Spiritum sanctum, cum
sit uere Dei eterni Spiritus ὁμοούσιος patri
et filio, quia dicitur, Effundam de meo Spiritu.
Est enim Emphasis in dictione meo.

Obseruent

Obseruent autem pij talia testimonia, eaq; diligenter expendant. Ea meditatio plus conducit quam prolixæ & intricatæ disputationes.

DE QUINTO

Dulcissima consolatio est in fine, et nos deducit ad Apostolorum testimonium. Beati inquit, qui credent etiam si non uiderint. Iubet nos credere testimonio Apostolorum, Sicut et Iohannis 17. ait Christus. Non pro his tantum rogo, sed etiam pro credituris per uerbum eorum in me. Hic clare testatur Ecclesiam esse non tantum Apostolos, qui ipsum audiuerunt, sed etiam uniuersam multitudinem, quæ audit Euangelium quod proponunt Apostoli. Huic uerbo uult nos assentiri, nec preter hoc uerbum requiri nouas reuelationes, aut uoces de cælo, ut fingunt Anabaptistæ.

Porro quam difficile sit humanæ menti consistere in hoc ipso uerbo, exempla ostendunt, quia plurimi homines deficiunt à Deo, quia querunt alia noua testimonia de uoluntate Dei. Saul cogitat, etsi Deus est misericors, tamen sibi non ignoscit, quia deseritur in prelio. Hic etiam amissa uictoria, amissis omnibus creaturis, tamen Deum abijcere non debebat. Sed retinere promissionem, quæ norat promissam esse reconciliationem & uitam æternam propter mediatorem. Hæc est sin-

DOMINICA PRIMA

gularis Ecclesie sapientia. David amisso regno, & quod multo erat tristius & luctuosius, exutus gloria, qua antecelluerat omnibus hominibus sue etatis, tamen intelligit se non debere à Deo deficere, non accusare Deum mendacij, sed meminisse promissionis, in qua offertur omnibus remissio peccatorum, & uita aeterna, qui fide ad Deum redeunt.

In tali agone & luctu discitur, quanta uis sit huius dicti. Beati qui non uident, et tamen credunt. Nondum uidet David se recipi in gratiam, cum expellitur in exilium, cum filius contaminat, eius coniuges, cū aduersus patrem capit arma. Hæc horrenda spectacula fides superat, & statuit tamen remitti peccata, & expectat mitigationem pœnarum.

Hoc exemplum utiliter docet pios, & confirmat fidem. Sed hic opus est recte tenere doctrinam Euangelij de remissione peccatorū. uidelicet, quod hæc sit aeterna & immutabilis sententia Euangelij, & qui non perseuerant in delictis contra conscientiam, sed perterrefacti petunt remissionem, uere et certo eam consequuntur propter filium Dei gratis, fide, non propter proprias uirtutes.

Hæc fides antefert omnibus peccatis, omnibus terroribus & omnib. creaturis, hoc inenarrabile munus, quod filius Dei pro nobis sit uictima. Hæc
se cona

se consolatione mens erigens & se fiducia misericordie propter filium promissæ sustentans, accipit Spiritum sanctum, sicut ad Gala. 3. scriptum est, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. De inde sequi nouam obedientiam & iusticiam bonæ conscientie, oportet, quæ docetur in præceptis Dei, & quanquam est adhuc imperfecta, tamen placet in renatis propter mediatorem.

Hec summa Euangelij sæpe in Ecclesia recitanda est, ut omnibus fiat familiarissime nota. Et integra sententia sumatur ex ijs scriptis, quæ totam controuersiam declarant, & moueantur homines ut discant hanc salutarem doctrinam transferre ad usum, redeant ad Deum per poenitentiam, et fide agnoscant beneficia Christi, ac Deum inuocent fiducia misericordie promissæ propter Christum. Sicut Daniel or. 1. ~~Non propter iusticias nostras exaudi nos, sed propter misericordiam tuam, ac propter promissum Dominum.~~ In his exercitijs & illustrior & dulcior hæc doctrina pijs mentibus erit.

Nam nec Epicuræij, nec Hypocritæ fascinati suis delirijs, intelligunt hanc sapientiam Ecclesiæ propriam.